





18

9.29. num. 8

17671

VINDICÆ NOVÆ GROTIANÆ DOGMATIS  
DE  
PRÆSCRIPTIONE

QUAS

PRÆSIDE

JOHANNE FRIDERICO EHRELEN

INSTIT. IMP. PROF.

A. D. APRILIS MDCCCLXVII.

HORIS LOCOQUE CONSUETIS

AD DISPUTANDUM PROPONIT

A U C T O R

PHILIPPUS FRIDERICUS DE DIETRICH


E Q U E S A L S A T I E

PATRIÆ CIVITATIS EX ORDINE NOBILIUM SENATOR.

A R G E N T O R A T I

Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.





V J R O

GENEROSSISSIMO MAXIMEQUE STRENUO

JOHANNI  
DE DIETRICH

DOMINO IN REICHSHOFFEN ET NIEDERBRONN &c. &c.

MEMBRO NOBILITATIS ALSATIÆ INFERIORIS

REGIÆ CIVITATIS ARGENTORATENSIS

P R A E T O R I

REGII ORDINIS MILITARIS MERITORUM

SECRETARIO INTERPRETI

RELIQUA

P A R E N T I O P T I M O

S A C R U M .







L. B. S.

**D**e Natura præscriptionis im-  
memorialis doctrinam juris  
intricatam, variisque In-  
terpretum & sententiis & studiis obno-  
xiām in speciminiis academicī argumen-  
tum vertere proposueram. Credideram  
enī, etiamsi, quam difficile hodie sit,  
Jurisconsultum agere inventorem, mi-  
nime me fugeret, supereesse adhuc hac in  
parte aliqua, quibus vel augeri vel exor-  
nari saltem aliorum dicta possent. Sed  
spem hanc ab initio conceptam eventus fe-

A

fellit egregie. In ipso quippe opere exce-  
quendo, aliorumque lucubrationibus exa-  
minandis occupatus, quod accidere solet  
Jurisprudentiæ tironibus, hanc ipsam  
causam jam adeo copiose exaratam depre-  
hendi, ut, quæ mei est ingenii infantia,  
sperare non licuerit, posse aliquid istorum  
præceptis, vel quod ad rerum ubertatem,  
vel quod ad dictionis elegantiam ordinis-  
que perspicuitatem attinet, accedere præ-  
fidii. Quæ cum ita sint, in id solummodo  
in præsentiarum operam dedi, ut meam  
circa justitiam usucaptionis sententiam,  
quibusdam positionibus generatim exhibe-  
rem: quas primas doctrinæ amplissimæ  
lineas alia occasione forsan latius diductu-  
rus, & ad varias Juris arbitrii contro-  
versias hanc exigui momenti, ipsam etiam  
præscriptionem, quam immemorialem vo-  
cant, concernentes, propius applicaturus  
sum. Quos juveniles conatus æqui bonique  
consulas. Vale!



## POSITIO I.



In Jure, quod hominum acceptum  
fertur arbitrio, suboriri nonnun-  
quam difficultates, dubiique seru-  
pulos, litibus inter cives, discor-  
diisque interpretum materiam præ-  
bentes, res non adeo mira videbitur illis, qui hu-  
manam sortem rite perpenderint. Verum illarum  
legum complexionem, quæ divinae dicitur esse  
originis, & revera est, quæ aeterno & necessario  
veritatum nexu nititur, quam sensus communis  
fanaque ratio quemlibet docet, tum quidem, cum  
eruditis Doctorum commentariis illustratur, ab  
eadem labe non esse immunem, capturus profecto

A 2

nemo facile videretur, nisi evidentissima' ubivis  
prostarent hujus rei argumenta. Nullum caput  
Juris naturalis, non temere sed ex rei veritate  
loquor, nullum inquam, in quo non quot capita Inter-  
pretum, tot fere sensus diversi. Nec mirum, hoc  
ipso multos obtorto quasi collo in perversam, ho-  
mineque Philosopho indignam raptos esse opinio-  
nem, quod nempe vel nullum plane Jus naturæ  
existat, vel illud saltem ita sit comparatum, ut  
infitos cuique natura stimulos, quos cum animan-  
tibus brutis communes habet humanum genus,  
vix egrediatur: quo pacto vero tollitur omnis  
inter hominem & bestiam differentia & evanescit  
omnis Juris proprio sensu accepti notio.

H O M B E R G Z U V A C H in *Dubiis Jur. Nat.*

J O H . J A C . S C H M A U S S I U S *neues Systema des Rechts*  
*der Natur.*

C A R . F E R D . H O M M E L I U S in *Libell. sub tit. Propo-*  
*situm de novo Systemate Juris Naturæ & Gentium ex*  
*Sententia veterum J Ctorum concinnando, sive de Jure*  
*Naturæ, quod natura omnia animalia docuit. Nec*  
*alieni erant ab hac sententia veteres apud Romanos juris*  
*Architecti, quorum vestigia quoque lubenter legit*  
C l . B Y N C K E R S H O E C K I U S *Obf. Jur. Rom. L V .*  
C . 2 .

### P o s . II.

In caussas hujus rei nunc inquire latius, nec  
vacat, nec juvat. Hoc certum, legum sanioris

methodi nimium neglectum, sed etiam studia, male  
fanum vel sua, semel animo concepta, inordicus  
defendendi, vel in aliorum dicta cœco conatu  
jurandi, pruritum, non postremum inter illas  
locum tenere. Alias his ignobiliores multo, lu-  
bens faceo, & illam, quæ forsan præcipua &  
ab angustioribus intellectus humani limitibus  
pendet, quilibet, qui non nimis superbus est,  
sua propriæ naturæ adeo usque oblitus, per se  
facile addiderit. Dici non potest, quam larga  
incommodorum fæges maxime ex arroganti ista  
nonnullorum, quæ semel placuerunt, licet oppido  
falsis principiis tenaciter admodum inhærendi,  
omnesque posteriores curas desuper habendi, per-  
vicacia propullulaverit? hinc ista lacrumæ, hinc  
ista malorum omni tempestate vehementer rem-  
itterariam affigentium featurigo & fons, hinc ille  
omnes alias quidem eruditionis partes æque per-  
vagatus, sed Juris naturalis Doctoribus præcipuo-  
quodam. Jure fere proprius Logomachiarum  
cumulus. Id enim observatu facile, plerasque,  
quibus in diversas partes scissus Interpretum ordo  
conspicitur, disputationes in verborum pugnas,  
vel meras vel mixti saltæ generis abire. Peperit  
ut plurimum ambiguus vocabulorum significatus  
lites & altercationes, quæ ubi de verbis conve-  
nisset, sine pulveris jactu mox componi potuissent.

WERENFELSIUS de Logomachiis Erudit. Cap. II. §. 4.  
EVERARD. OTTO in notis ad PUFENDORFIUM  
de Off. hom. & civ. in Praefat.

A. 3.

## Pos. III.

Luculentius exemplum non facile quis allegarit, quam quod suggerit de moralitate, ut ita loquar, præscriptionis doctrina. Si quæ ulla alia, certe quæ de hoc arguento acerrimo studio inter Eruditos fuerunt ab omni fere tempore disputata, Logomachiam sapiunt. Res tamen ipsa gravissimi est momenti, utilitatem habet per totum Jurisprudentiæ ambitum, nec continetur intra umbræ scholasticæ mensuram. Pendet inde tranquillitas inter cives, Imperiorum securitas, salus Gentium.

Moliebatur olim ingeniosissimus LEIBNITIUS juvenis adhuc, peculiarem de præscriptionis fundamento genuino opusculum. Sed aliis negotiis, quo minus consilia hæc sua executioni mandaret, impeditus fuit. Ad ætatem deinde provectionem perventus, & gravitate & difficultate causæ inductus, Cel. LEYSERUM hortatus est impense, ut eandem ad certiora, quam quidem antea ab aliis factum, principia reduceret. En Viri illustris verba, depronta ex epistola hanc ob rem ad LEYSERUM data. Juvenis olim peculiarem de hoc arguento dissertationem moliebar, ut rem ad vera, nec satis vulgo nostris Juris naturæ Doctoribus explicata principia revocarem. Sed distractior postea intermisisti, & jam aliis hanc Lampada trado, & a te imprimis multa præclara expæcto. An huic

LEIBENITII expectationi responderit LEYSERUS,  
nec ne? judicent, qui cupiunt, ex iis quæ hic de præ-  
scriptionis causa afferit in *Med. ad Pand.* Spec. 454.

## P o s. IV.

Causa hujus dissidii præcipua, nisi me omnia  
fallunt, in eo versatur, quod non tam de re quam  
de verbis laboraverint concertantes. Si de sensu  
Juris naturalis rite definiendo inter illos constitui-  
set, si terminos hujus doctrinæ communi quodam  
pacto designassent accurate, nec unus eosdem justo  
latius extendisset, alter vero angustioribus paulu-  
le in cancellis inclusisset; si quod Juris naturalis  
est, ab eo quod aequitatis, sollicite discrevissent, si  
consensus *taciti* & *præsumpti* notiones diligenter  
formassent, si formam rei externam a primæva  
ejusdem origine, ideam bonæ fidei a dominii no-  
tione, modum acquirendi dominii a titulo probe  
ab invicem separassent, si denique de temporis  
efficacia, misso omni sophismate, ex rei natura  
disputassent, ipsumque *τε* immemorialis conceptum  
unanimi suffragio in tuto collocassent, & quæ sex-  
centa sunt ejusmodi alia, tum forte facilius fese ex  
subtilitatum tricis expedivissent.

## P o s. V.

Exponamus, quod nunc ad rem ipsam attinet,  
breviter Doctorum sententias, quæque nobis se-

deat? subjungamus modeste. Nempe ex circulis Juris Naturalis, proindeque ex ipso gentium usu prescribere præscriptionem, jam inter antiquiores Jurisprudentiæ interpretes annisi sunt haud pauci. Alii contra eandem fovere, magnoque eruditiois apparatu adstruere conati sunt. His alii nova opofuerunt dubia, mox rursus ab aliis remota. Ventilata hæc quæstio fuit ab omnibus prope, qui ad Juris vel naturalis vel civilis præcepta explananda fese accinxerunt, impari admodum argumentorum selectu, impari prorsus successu. Sunt etiam, qui varie distinguendo hunc Jurisprudentiæ nodum solvere satagunt. Qua opinionum varietate res tandem eo deducta fuit, ut inter celebriores Germaniæ Philosophos vix hodie existat, qui præscriptionis causam defendendam in se suscipere ausit.

*Coutra præscriptionem insurrexit Jurisconsultus Hispanus  
VASQUEZ Controv. Illustr. L. II. C. 51. n. 28.  
LA PLACETTE Traité de la Restitution L. V. C. 6.  
p. 360. & 361. reliquie, qui de casibus conscientie disputarunt. Eadem vero argumentis magni ponderis astterit, non quidem ex prudentiæ regulis, ut nimur contra Anglos maris libertatem defendere, prouti plerique crepant, sed qui erat Viri immortalis candor, ex vera animi sententia, GROTIUS de Jur. B. & P. L. II. C. 4. Vim rationum a Viro Illustri ad causam suam propugnandam allatarum, pauci recte ceperunt, aut quod dolendum magis est, percipere voluerunt. Aggressus est ejus opinionem multo verborum appa-*

apparatu eruditus JCtus Gallus, PETRUS PUTEANUS  
 in *Diss. cui titulus: Si la Prescription a lieu entre les  
 Princes souverains?* Verum argumentis a PUTEANO  
 in medium allatis non obstantibus, plerique tamen in-  
 ter GROTIUS Commentatores sententiam Viri Summi  
 suo probarunt calculo, ipse etiam PUFENDORFIUS  
 in utroque opere, THOMASIUS item in *Inst. Juris-  
 prud. Div. TITIUS*, aliquique Maxime vero omnium  
 vindicem Philosophi Batavi egit JOH. WERLHO-  
 FIUS in *Vindiciis Grotiani dogmatis de prescriptione  
 inter liberas gentes contra Illustr. Scriptorem Gallicum,*  
 PETRUM PUTEANUM. Verum denuo tamen  
 contra GROTIUM calatum strinxit alius JCtus Batav-  
 us magni nominis, ast felicior Criticus, quam Phi-  
 losophus, CORNELIUS VAN BYNCKERSHOECK  
 in *Diss. de Dominio marii:* cui aliam Dissertationem  
 oppoſuit paullo ante allatus TITIUS de *Dominio in  
 rebus occupatis ultra possessionem durante.* cf. THO-  
 MASIUS in *notis ad HUBERUM de Jure Civit.*  
*L. II. S. 4. C. 2. §. 43.* Nec vero defunt, qui mul-  
 tum hæſitant, quam sententiam amplectantur? qui-  
 que vel reſtringendo vel diſtinguendo item componere  
 laborant. E V. OTTO in *notis ad PUFENDORFII  
 de Off. Hom. & Civ L. I. C. 12. §. 12.* & memo-  
 ratus jam aliquoties TITIUS in *Vindic. Vitiar. castig.*  
*Annot. 120.* & *notis ad eundem PUFENDORFII  
 libellum l. c.* GRIEBNER *Jur. Nat. & Gent.*  
*L. III. C. 3. §. 1.* Inter Gallos Scriptores recentiores  
 ad unum fere omnes præscriptionis partes defendunt.  
 Instar omnium eſte potest DUNOD DE CHARNAGE  
 in prætantissimo opere *des Prescriptions & rel.* Inter  
 Helvetios idem agit DE VATTEL, *Droit des Gens, ou  
 principes du Droit naturel appliqués à la conduite & aux  
 affaires des Nations & des Souverains Tom. II. L. II.*

*Ch. XI. p. 122. segg.* Inter Germanos insignis occurrit opinionum discordia, ita tamen, ut si calculum inire cupias, majorem deprehendas negantium quam affirmantium numerum. *Systema Grotianum* præcipue tueri, fuisusque exponere studuit CHRIST. WOLFFIUS in *Op. maj. Jur. Nat. Part. III. Cap. 7.* qui pauciores fere natus est hac in parte affectas: cum contra ingens sit eorum copia, qui GROTTI doctrinam ex *Juris naturalis & gentium terminis* eliminant. JOACH. GEORG. DARIUS præcipue in *Comment. germanico idiomate exarato ad Comp. Juris Nat. Part. Spec. S. II. Cap. 2. Tit. V.* GOTTFRI. ACHENWALL *Jur. Nat. Part. I. S. II. Tit. 12.* ut alias brevitatis causa taceam.

## Pos. VI.

Scilicet, si quid mei est hac in causa judicii, arbitror, fundatam esse, quam adoptant, ast raro perspicue probant plerique *Juris civilis* interpres sententiam: præscriptionem quoad formam suam externam omnino *Juris civilis* esse, atque hactenus quidem recte eidem Juri vindicari & a *JCtis* & ab aliis antiquis Romanorum Scriptoribus, at vero illam etiam ratione formæ suæ civilis, æquitati naturali non repugnare, quin quod ad primævam attinet originem, plane ex jure naturali ipso esse derivandam, adeoque sub certis conditionibus atque cautionibus etiam inter liberas gentes utique locum suum tueri posse. Regulæ

enim Juris naturalis tantum non omnes ordinarie  
etiam inter Gentes valent.

*Pr. Inst. de Usucap. L. I. ff. de Usurpat. CICERO  
in Topic. C. 4. & pro Cœcini. C. 19. WOLFIUS  
I. c. DE VATTEL I. c. S. 147. & sqq. DARIES  
Obs. Jur. Nat. Obs. 6.*

### P o s. VII.

Quam quidem regulam nunc ita sumus demon-  
straturi, ut adversariorum argumenta afferamus  
accurate, quid roboris vel infirmitatis illis insit,  
ingenue annotemus, & denique nostram doctri-  
nam legitimo rationum nexus ob oculos ponamus.  
Dandus vero, ut hæc omnia rite procedant, parti  
adversæ patronus; at quem potius dabimus, quam  
Celeberrimum DARIESIUM? quippe qui omnem  
vim momentorum pro nostra causa pugnantium  
in brevem contraxit summam, illisque, uti qui-  
dem ab initio videri posset, enervatis, speciosum  
plane ratiociniorum nexum, brevi tabula expre-  
sum subjecit, hōcque modo id effecit, ut re non-  
dum penitus perpensa, mox quilibet ipsi luben-  
tissime adstipulaturus videatur.

DARIES in *Comment. laud. I. c. pag. 721 - 724.*

## P o s. VIII.

Provocat nempe primo loco ad unani ex causis, Romanos, ut præscriptionem & usucationem, introducerent, moventibus, illam quippe, quæ nonnullis sita videtur in eo, ut poenam quandam negligentiae infligerent patribus familias minus curiose res suas administrantibus. Quæ quippe poena in ipsa rei parum adeo diligenter custoditæ jactura posita videtur. De ipsa hac caussa nondum inter se convenient Interpretes; sed quicquid ejus rei sit, superstruit nunc DARIENSIUS huic observationi sequens ratiocinum: *Jus nature dat quidem Jus puniendi, sed poenas non determinat; determinata negligentiae pena est præscriptio, E. Præscriptio non valere potest secundum Jus nature.* Quod mea quidem sententia cum grano salis est accipiendum.

## P o s. IX.

Arbitror in hoc argumento duas latere quæstiones probe examinandas, quo appareat, num ex sumptis rite sit illata consequentia: *præscriptionem nempe secundum Jus nature valere non posse.* Ab initio scilicet hoc in quæstionem venit: An, si

daremus, Jus Naturæ poenas non determinare, inde necessario conficeretur, pari non competere contra parem, jus præscriptione se tuendi? Deinceps de eo quoque disquirendum erit, an poenæ ab ipso Jure naturali nullo modo determinantur? Primam quæstionem ego quidem mox negando decidem. Ex eo enim, quod Jus naturæ poenas non determinat, non illud fluere existimarem, hominibus itaque Jure naturali ademptam esse potestatem poenas determinandi, sed hoc, hominibus competere facultatem penas determinandi secundum iustitiae regulas, id est secundum normam benignitatis (ut cum recentioribus loquar) sapienter administratae. Nisi hoc concedas, nescio cui bono tibi foret magnificum istud jus, poenas de iis, qui leges violant, sumendi, quod fatente Cl. DARI E SIO, natura ipsa tibi tribuit. Habiturus sane esse jus, quod nunquam exitum capere, quod in effectum nunquam deduci posset. Datura tibi esset una manu quid natura, quod altera tibi statim rursus denegaret. Titius in statu naturali constitutus delinquendo laedit Mevium item in statu naturali constitutum; Mevio competit jus Tirium puniendi; at qualis poena in ipso inflicturus est? nullam, quia Jus naturæ poenas non definit. Qualis quæsto consequentia? Titius in statu naturali constitutus laedit societatem humanam, turbat publicam hominum tranquillitatem. Omnes homines ab ipsa natura rursus consentiente adversario nostro, habent jus Titium puniendi, sed Jus naturæ poenas non definit, an

ergo impune grassaturus in posterum erit Titius in totum humanum genus? an nemini ab ipso Jure naturali tradita erit potestas poenam secundum delicti indolem definiendi, Titioque irrogandi? Id vero ego non dixerim. Probe quidem scio, ita non argumentari D A R I E S I U M , sed analogiae gratia tamen haec afferenda erant, ut illud in aprico poneretur, nec in caussa præscriptionis ita rationes subducendas esse. Quamvis enim largiremur, quod vero non facimus, præscriptionem niti fundamento poenæ negligentibus patribus familiæ imponendæ, poenasque jure naturali non esse definitas, tamen nihil inde pugnaremus ad op-pugnandam præscriptionem desumi posse præsidii.

## P o s . X.

At vero, an nunc altero loco, poenæ a Jure naturæ determinantur, nec ne? De hoc quidem adhuc sub judice lis est. Nec possumus nobis temperare, quin & hanc quæstionem admodum inter Doctores controversam magnam partem in logomachiam definere, ingenue fateamur. Plura occurunt in eadem sollicite ab invicem separanda, quod ni feceris, nihil nobis certi sane, nihil definiti propinabis. Nemo vero majori cura in id negotii incubuit, quam ipse D A R I E S I U S . Pœna videlicet, recte eodem docente, alia interna est

*alia externa.* De isto poenarum genere nulla plane alteratio. Ibi omnia plana certaque. Bona enim ista & mala, quæ quamque actionem sequuntur necessario, omnino, nemine uno hoc dissimulante, ab ipsa natura sunt stabilita. An vero hæc ipsa conjectaria, quæ cum actione qualibet necessario vinculo cohærent, revera poenarum classi sint adscribenda? de eo nunc non disquirimus, nec disquirere ad scopum nostrum quid conduceret. Qui de eo acriter inter se litigant Doctores, illi rursus in verborum incident controversiam. Intuitu vero poenarum *externarum* DARI S I U S duo ab invicem discernit, an scilicet de eo quaratur, num poenæ *individualiter* a Jure naturæ sint determinatæ? i. e. ita, ut ipsa natura definiat, quænam poenæ in singulis casibus obviis pro eorum quæ circumstant, ratione sint infligendæ? an vero ita faltum status questionis formetur, utrum Jus naturæ poenas *specialiter* determinet, nec ne? i. e. ita, ut ex ipsis rerum notionibus legitimo cogitandi ordine derivari queant regulæ, quæ modum poenæ definiant. Prius recte negat Clar. A U C T O R: sed quis hoc affirmaverit? An per rerum naturam fieri potest, ut leges naturæ, quæ veritates morales sunt generaliores, ad ejusmodi momenta singularia descendant? Posteriorus item recte affirmit. Et hoc quidem jam nobis sufficit, quo ex rei veritate afflere audeamus, poenæ esse Jure naturali definitas. Quæ propositio vero nunc hunc spirat sensum: *Omnibus illis, quibus*

*ex genuino Juris naturalis fundamento jus puniendi tributum esse constat, id incumbere officii, ut poenam secundum justitiae regulas (Pos. IX.) adeoque secundum Juris naturalis praecepta definiant, ac irrogent delinquenti. Et, ut rem paucis absolvam, ni mecum sentias, rursus de verbo, quam de re ipsa laboras magis. Enim simile argumentum! Catus, cui negotium quoddam cum Titio intercedit, ad verum (moraliter nempe) Titio dicendum obstrictus, mendacium committit. Daminum quod inde emergit, Cato imputatur soli. Is ergo ob actionem legi naturae repugnantem, sentire debet incommodum. Erit ne hoc, poena mendacii naturalis, aut potius mera damni reparatio? Mihi sane de re, quam de vocabulo magis sollicito perinde est. Aut verbis mecum pugnas unice, aut nulla plane inter nos controversia. Non ergo actum esse putamus de causa praescriptionis ex eo, quod Jus naturae poenas non determinet.*

**GROTIUS L. c. L. II. C. 8. §. 20.** *Natura poena non determinat, quamquam naturaliter pena aliqua digni sunt, qui delinquunt. TESMARUS in notis ad h. l. GROTIIL. DARIES Obs. Jur. nat. P. II. Obs. 40.*

### Pos. XI.

Periculum haec tenus fecimus, an non aliquo modo dilui primum hoc praescriptionis justitiae ob motum

motum dubium possit. Speramus quidem, quæ ad-  
ducta haec tenus fuerunt, non pro�us a vero ablude-  
re. Sed quid si etiam rem acu non tetigisse videre-  
mur, tamen alia adhuc nobis in promptu est, ex  
hac difficultate emergendi via. Quippe id quidem  
existimamus, primum hocce argumentum, si res  
æqua rationis lance æstimetur, ne quidem ferire  
sententiam nostram. Sumit enim pars adversa,  
quæ probatione adhuc indigent. Romani quippe  
præscriptionem s. usucaptionem cum principio pœ-  
næ, quæ cives in rebus suis gerendis supine ne-  
gligentes manere deberet, superstruxerunt, *pœnae*  
*vocabulo* omnino usi sunt significatu admodum laxo,  
prouti id illis etiam in aliis Juris articulis non  
nunquam usu venire solebat. Pœnae secundarum  
nuptiarum absoluto luctus anno contractarum non  
sunt pœnae proprie sic dictæ, sed quædam, quæ  
contrahentes ex aliis caussis certo modo premunt  
incomoda. Ut illud sicco transeamus pede, hanc  
caussam nec unicam nec præcipuam fuisse, quæ  
Romanos impulit, ut usucaptionem vel præscriptio-  
nem in civitatis finum reciperent; quin illam ipso  
Jure Romano non ceu *justificam*, sed solummodo  
tanquam caussam *impulsiveam*, & quidem tantum  
*occasionalem* & *secundariam* allegari. Quid vero si  
rursus vel omnia hæc concederemus, tamen nihil  
inde nobis metuendum foret periculi, cum non  
præcise de *Romana Præscriptione*, sed de *Præscriptione*  
*qualibet ordinaria* nobis sermo sit, qualem mero jure  
naturali cogitare licet, quæque ex ipsis rerum no-

C

tionibus erui commode potest. Hanc vero non fundamento poenæ, sed alio prorsus inniti, infra suo loco ostendendum erit.

Subscribimus lubenter hac in re PUFENDORFII sententia, leges civiles de usucacione agentes penales esse, vehementer negantis. cf. *Jus Nat. & Gent. PUFEND. L. IV. C. 12. §. 6. add. LEYSERUM I.c. aliasque, quos hujus opinionis patronos ibidem laudat.*

## P o s. XII.

Altero loco pars adversa ita suas subducit rationes. Titulus, in modo acquirendi dominii, qui per præscriptionem procedit, non defumi potest nisi ex diuturna rei possessione. Tempus vero, quod possessioni hanc tribuat efficaciam, ut diuturna satis videri possit, ad hunc juris dominii effectum producendum, ex rerum notionibus, adeoque ex Jure naturali definiri nequit. Non ergo in jure naturæ fundata præscriptio. Multa certe in hac cogitationum serie deprehendere licet, quæ mox concedi non possunt, quæque accuratius paullo sub examen vocari merentur. Vacillant enim rursus, ex quibus deducta consequentia, sumptiones. Rem per partes demonstrabo. Omnia scilicet pendent a definitione usucacionis & ab ejus genuino fundamento. **JCTI ROMANI usucacio-**

nem dixerunt esse *adceptionem* seu *adjectionem dominii*  
*per continuationem possessionis temporis lege definiti*. Hi  
 quidem circa principia usucpcionis forsan eadem pla-  
 ne, qua **G R O T I U S**, philosophia imbuti, eandem  
 definunt ad formam Juris Romani accommodatae,  
 simulque modum, quo presumptio, quæ funda-  
 mentum præscriptionis solum & genuinum est,  
 procedit, sua definitione explicitant. Usucatio apud  
 Romanos variis modis erat definita accuratius  
 quoad objectum, quoad subjectum, & quoad mo-  
 dum usucapiendi. Sed haec *Civilia*. Quodsi ita-  
 que nunc quæ *civilia* & *arbitraria* sunt, a Romanis  
 ad lites finiendas aut præcavendas inventa præce-  
 pta omittas, & genesin, qua ista præsumptio Juris  
 effectum operari docetur, seponas, tunc prodibit  
 definitio præscriptionis non quidem Romanæ, sed  
 quæ juris naturalis est, & **G R O T I A N O** Syste-  
 mati adaptata, quod nempe ea sit *acquisitio dominii*  
*ex præsumpta rei derelictione descendens*. Atque ne  
 quidem nunc tibi molesta sit haec mea distinguendi  
 ratio, semper tibi quæsto in animum revoces,  
 quod in principio causæ monitum, mihi nimirum  
 non de forma præscriptionis civilis, sed de præscrip-  
 tionis origine fundamentoque naturali generatim  
 sermonem esse. Unde facilis simul negotio id ex  
 dictis confeceris, me quidem nec in *possessione* sim-  
 pliciter considerata, nec in *possessione diuturna* quæ-  
 rere hujus acquisitionis justitiam. Possessione enim  
 sola, quæ quippe res facti est, dominium non ac-  
 quiriri, neminem fugit unum, qui vel primis labiis

Jurisprudentiam delibavit. Tempus porro in se  
spectatum jura operari posse, adeoque dominii  
prærogativam alicui conferre, nemo sanus unquam  
dixerit. Operam profecto & oleum perdiderunt  
illi omnes, qui ex hoc capite, jam pridem ante  
**DARIESIUM** doctrinam **GROTIANAM** oppu-  
gnare annisi sunt. In eo unice vertitur omnis  
cardo controversiæ: an derelictio salvis legibus  
naturalibus possit præsumi, ea conditione, ut in  
negotiis hominum gentiumque illi præsumptæ  
derelictioni idem possit effectus adscribi, qui de-  
relictioni certa? Et id quidem est, quod mox in  
sequentibus ad liquidum deducetur. De modo præ-  
sumendi in hac quidem cauſa ſolliciti non sumus.  
Hunc certis limitibus circumſcribere, Juris poſ-  
tivi est, quamvis etiam hoc infra ad dictum **GRO-  
TII** offendit ſumus, quomodo in liberarum gen-  
tium controverſiis de eo ſecundum normam ſan-  
gationis fit pronuntiandum? Ergo nulla vis *poſſeſſionis* ſimpliciter ſpectatæ, nulla vis *temporis*; aſt  
nihil tamen inde æquitati cauſæ noſtræ decedit.

**GROTIUS L.c. WOLFFIUS L.c. T.III. P.III.**  
**C.7. S.1024. DE VATTTEL L.c.**

### Pos. XIII.

Nunc tandem ultimo loco ad ipsum caput rei  
devolvimur. Nempe subneicit **DARIESIUS**

quæ hactenus e medio tollere studuimus, du-  
biis, tabulam quandam, ipsius cogitandi modum  
exhibentem, qua omnem hanc causam mox con-  
fici sibi persuadet. Dabimus operam, ut mentem  
ejus exponamus, quantum fieri potest, clare atque  
perspicue, quique nobis adhucdum circa ean-  
dem hæreant dubiorum scrupuli, studiose indice-  
mus. Quo facto speramus hoc nos consecuturos  
esse, ut manifesto rursus appareat, aut ipsum me-  
ris verbis nobiscum certare, aut a nostra sententia  
non adeo esse alienum, ac quidem prima specie  
videri posset. En tabulam **DARIESII!** quam  
vero pro nostro concipiendi modo paullulum im-  
mutatam fistimus, ita tamen, ut ejus principia &  
ordo philosophandi omnino eadem maneant.



## Originarie.

Hoc non procedit, quia alias non praescribebet, sed occurret.

paret.

## NOTA.

**1. In verbis sumus faciles, modo in re communi- veniamus. Non negamus, fieri et posse et non nunquam sole- re, ut usucapio eventu non differat ab occu- patione. Sed quid inde? Non de coquarimus, pro de- an Usucapio quoad effectum differat ab occu- patione? sed de hoc unice, an Usucapio sit legem naturae ius- sū acquirendi modus?**

**2. Occupationi niti- titer certa de- relatione do- minii, Usu- capio presumpta. Ergo remanebit semper gravis differentia in- ter utramque, & quoad for- man & quoad principia, qua fundamenta triusque genui- nae sunt. Ne- gag vero nunc DARISSIO præsumptam Domini dere- lictionem; sed huc de re infra.**

Cum consentiu domini,

Dominus debet mentem suam declarare.

## Declarat eandem

## Commit- tentio.

Declaratio hæc mentis, omittendo facta, debet colligi ex eo unice, quod alter pauplus fuisse non adiungit. Hæc vero conclusio vel ex non poterit locum suum tueri, quia ex facto, vel non-facto, quod plures admittit significatus, ad unum definitum non potest concludi, scilicet, quod dominus rem suam nibi relinquere volerit. Potest enim hoc factum vel non-factum adhuc altos significatus admittere, nempe quod 1) ignoraverit rem suam a praescribente possideri; 2) quod supina quadam negligentia ha- tenus non in eandem inquisiverit; 3) quod ex prudentia & consiliis regulis eam ha- tenus non vindicaverit, forsitan metu nimiae praescribentis potentiae, altave simili causa.

## NOTA.

*Ex his liquet, rem omnem tandem eo deduci a DARISSIO, ut neget, dari in Jure naturali consensum præsumptum vel probabilem, ius operari validum. Sed de hoc quidem nunc adhuc gravis est sub judice lis. Aperta rur- sis hic logomachie vestigia; nam si damus, cogitari commode non posse consensus præsumptum, tamen inde nondum hoc fuit, præsumptiones in genere Jure naturali exulare. Qui id contenderit, ut is omne ius externum, quod inter homines viget, & vigere debet, ex Jure naturæ eliminatur, omniaque civili- bus inventis accepta latetur est. Salva, meo quidem iudicio, semper manet regular, a WOLFFIO stabilita Op. maj. Jur. Nat. l. c. §. 1018. "Quod in casu dubio, quando cer- titudo haberi nequit, rite præsumitur, id in negotiis humanis contra eum pro vero habetur, contra quem fit præsumptio." Sed id nunc est, quod sequentibus Positionibus fusius enodandum venit.*

## Derivative

Si hoc, tunc acquirere debet

Sine ejus consensu

non potest acquirere, nisi ex lege; ex lege autem acquirere ne- quit, nisi ab eo, cuius rem acquirere cupit, laetus fuerit;

hic autem nulla latio. E. acquisitione nulla.

## NOTA.

**1. Hoc certum, quod nulla detur acquisitione derivative, nisi vel ex lege vel ex pacto, sed quod legi non procedat acquisitione derivative, nisi ex capite laetus, illud nondum existim efficiat, qua de re infra.**  
**2. Sed quoniam etiam ho- demus, quod in plurimi- casibus dari facile potest; tunc tamen distinguendu- dum esse puto inter la- sionem, que ab initio adebat, & eam, qua ex post facto accedit. Qui in re sua administranda sapientia negligens est, eamque per longum temporis intervalum patitur in manifestis alterius versari, nihilplacere obnoxium, is quidem alterius badens nondum latit. Sed de eo queritur, an non laetus est, si aliquo longo tempore traetum eandem a bona fideli possefora, qui forsitan onto- ro titulo eam acquisivit, reperire amitteretur? Et de hoc quidem rursus ex infra dicendis iudicium ferri poterit.**

## Pos. XIV.

Præcipua itaque officii nobis impositi pars nunc eo reddit, ut excussa, quæ inter novæ maxime ætatis Interpretes movetur, celebrata ista de indole & efficacia *consensus præsumpti* controversia, quid secundum modum cogitandi naturalem de eadem statuendum videatur, paucis dispiciamus. Quo vero aliquantum diligentius hæc exequamur, de diversis capitibus seorsim justaque ordinis lege agendum erit. Primo nempe cautions quasdam præmittamus, ad ipsum quæstionis statum recte collocandum apprime necessarias, tuin vero originem & occasionem litis indagemus. Hoc facto doctrina D A R I E S I I quique cum eo faciunt aliorum, explicari poterit dilucidius, adjectis, quæ vel iure vel injuria eidem opposita fuerunt, dubiis. Atque ita tandem ultimo loco nostra de subtili hac disputatione animi sensa declarantes eo quidem pertinaci studio allaboraturi sumus, ut quodam quasi adhibito temperamento probabiles nonnullas pacis conditiones acriter adeo utrinque pugnantium cohorti proponamus.



## P o s. XV.

Jam vero primum summopere hic cavendum est, ne ipsam *consensus* notionem in varias generi subjectas partes abire credamus. Hæc enim observatio magnum habet hac in causa momentum. Consensus sensu *moralis* acceptus, est *Identitas* voluntatum duorum vel plurium. Hæc ergo consipratio inter istos vel adeat vel non adeat. Nihil hic occurrit in medio positum. At hoc vero nemo temere inficias iverit, ipsum *consensum* varias denominaciones nancisci posse intuitu ejus, qui de mente alterius judicat. Exinde vero proprie loquendo non quidem diversæ consensus *species* profluunt, sed solummodo diversi cognitionis gradus, quibus unus de alterius voluntate judicium ferre potest. Hoc est quod in Logicorum schola exprimunt: *per determinationes ex causa non posse constitui varias species*. Deinde & id probe observatum cipiunt, ipsam quæstionem: *an videlicet detur consensus presumptus?* dupli significati esse obnoxiam. Etenim vel de eo tantum queritur: utrum salvo Jure naturali in casu quodam obveniente dici queat verosimile esse, alterum consensisse? vel de hoc: an hæc mea ex argumento probabili desumpta conclusio, verosimile esse alterum consensisse, isti eandem imponat obligationem, quam exsolvere obstri-

obstrictus foret, si revera invictis rationibus, i.e.  
ad instar naturam mathematicæ certitudinis de-  
monstratum esset, ipsum consensisse? En hic, ni me  
omnia fallunt, haud obscura logomachia indicia!  
Cardo quæstionis semper unice eo tendit: sitne  
alter ad aliquid obligatus, nec ne? quæ vero  
nunc fundamentum hujus obligationis concer-  
nunt, ea quidem in censum non tantopere ve-  
niunt. Eodem enim res recidit, sive illud in *con-*  
*sensu* sive in alio momento jus & obligationem pro-  
ducere idoneo lateat. Nec denique hoc præter-  
mittendum, quod caput rei esse videtur: sollicite  
hic semper esse distinguendum inter certitudinem  
*mathematicam*, istamque, quam *moralēm* appellant.  
In judicio de alterius voluntate ferendo, uti in ge-  
nere in omnibus facti quæstionibus, ob humanæ  
fortis infirmitatem in morali certitudine nunquam  
non est acquiescendum. Corda enim mortalium  
inspicere, nonnisi divini Numinis est. At vero *mo-*  
*ralis certitudo* certitudo proprie sumta non est, nec  
unquam summum probabilitatis gradum excedit.

## P o s. XVI.

Origo controversiæ ex doctrina Juris Roma-  
ni videtur repetenda. Romana gens, uti fere  
solent esse comparata civitatum initia, priscis tem-  
poribus non multitudine, sed inopia legum labo-

D

ravit. Hinc ratus apud istos, ex lege, seu æquitate *immediate*, sed plerumque ex factis hominum interventientibus derivata obligationum vincula. Adeo illis in deliciis erat suavis libertatis aura, ut ne quidem ex lege sola civium aliquem condemnari facile concederent, nisi ipsius quasi factum intercesserit, quo non tam a lege & magistratu condemnatus, quam potius ipse hujus suæ damnationis, ad aliquid faciendum seu præstandum, caussa & arbitrio videretur. Accedebat formularia ista, & imaginaria, qua imbuti Romani veteres erant, *Jurisprudentia*, politicis & ex indole status publici defumptis rationibus innixa. Unde obligationes vix non omnes ex civium factis deductæ, vel *licitis*, quales *conventiones*, vel *illicitis*, quafia *delicta*. Mancum tamen admodum ipsis Romanis tractu temporis visum hoc principium, optime ad animum advertentibus, multas dari obligationes, quæ ex vero *consensu*, verisque *factis* noti promanent. Unde medicinam huic malo allaturi, *quasi-contractus* & *quasi-delicta* introduxerunt, exhibito in subfidium *consensu quodam presumpcio*, duriori quadam significatione accepto, & revera *fictio*. Fingebant enim, eum, qui actu non consentit, tamen consentire, aut consensisse, ad id, ut talis tamen ex ejusmodi negotio, *quasi* ex suo consensu *ad dannum* vel *faciendum* obstringeretur. Maluere itaque prudentiae & consilii rationibus ducti, ex similitudine contractus, quam ex generalioribus æquitatis regulis obligationis vim inferre. Hinc etiam

vulgaris & decantata interpretum, Juris Romani genio assuetorum, doctrina; *quatuor præcipue apud Romanos fuisse obligationum fontes, contractus, quasi-contractus, delicta & quasi-delicta.*

Noordius in Tract. de Paet. & Trans.

Ev. OTTO in Notis ad Inst. Justin. L. III. Cap. 27.  
ad proxim.

## P o s. XVII.

Non tamen exinde incongruum, aut parum cohærens, aut suo fundamento destitutum videri debet Juris Romani systema. Rem ipsam exposuerunt veteres Juris Magistri egregie, & quidem prouti decebat, ex genuinis fundamentis ratiocinantes. Modum vero docendi & methodum, per ambages justo diffuliores circumduxere, quæ quippe paucioribus, & planioribus regulis omnino absolvit potuissent. Erat vero hæc Juris Romani indoles, multum quippe, uti jam diximus, ad politica reipublicæ arcana adaptatus. Enimvero præbuit tamen hæc inconcinna veterum Romanorum, obligationum caussas & fundamenta tradendis, methodus, nostræ tempestatis & JCtis & Philosophis ansam, consensum istum *præsumptum atque fictum* ex terminis juris naturalis excludendi. Digitum jam ad id intenderunt olim GROTIUS,

D 2

THOMASIUS, aliique. Nemo vero majori conatu in id forsan incubuit GLAIDEO, qui multos sortitus est affecas. Inter hos primum locum fere tuetur DARIUS, totus in eo occupatus, ut *consensus presumpti* notionem ex doctrina Juris naturalis extirpet. Maximopere tamen vel hi ipsi, qui de *moralitate* hujus rei graviter adeo inter se disceptant, ab invicem recedunt. Docebimus nimurum infra pluribus, significatum *consensus presumpti* pro diverso loquendi usu a DDBus adhibito, rursus ambiguum esse. Alius *consensus presumptus* enim duriori significatu acceptus, quallem nempe, quicquid alii oggerant, utique Jus Romanum fovet, est sine dubio fictus, ex nullo quippe plane argumento inductus: alius vero minori sensu sumptus non prorsus fictus est, sed ratione aliqua nititur, nunc magis nunc minus firma, quem etiam nonnulli *presumptum*, alii, & quidem magis fere perspicue *probabilem* appellant. Nunc vero sunt DDes, qui omnem plane *consensum presumptum* in Jure naturali respiciunt, uti DARIUS, contendentes, nec illum, qui *probabilis audit*, ea lege sustinendum in sphera hujus juris esse, qua scilicet obligationem operari validus esset. Alii pro more in contrarias & huic opinioni ex adverso oppositas partes dilabuntur, omnique *consensi presumpto*, etiam illi, qui mera fictione nititur, in Jurisprudentia universalis locum concedunt, prouti id agunt KOEHLERUS, CANZIUS aliique. Tertiam denique classem componunt,

qui medium viam ingredientes, consensum solummodo *præsumptum*, qui *fictus* est, in exilium mitunt, illum vero, quem *probabilem* paullo ante non minavimus, tenaciter servant, operoseque defendunt. Idquod faciunt WOLFFIUS, SCHIER-SCHMIDTIUS, GUNNERUS, DE VATTTEL multique præterea alii.

GLAFEV *Recht der Vernunft* C. 4. §. 81. seqq.

KOELLER *Jur. Nat.* cog. §. 1369. & seqq.

CANZIUS in *Discipl. moral.*

WOLFFIUS *I. c.*

DARIES. *II. cc.*

GUNNERUS in *Comment. ad Inst. Jur. Nat.* DARIESIL.

DE VATTTEL *I. c.*

### P o s. XVIII.

Visa litis origine & occasione, ut juxta regulam ordinis supra stabilitam, ad ipsum DARIESII systema de *moralitate consensus præsumpti* enucleandum progrediamur, par est. Is vero suas rationes ita subducit. Quicunque alterum consentire assertit, is quidem vel cum vel sine ratione hoc dicit. Ibi consensus *verus*, hic *fictus*, seu quem Romani *præsumptum* vocant; eoquod sine ratione aliquid assertere, idem fit, ac  *fingere*. Ratio vero hujus asserti ex alio fonte, quam ex factis al-

D 3

terius desumi nequit, unde *axiomata*, quod studiose inculcatur, at quod me judice cum grano salis accipiendum, uti infra ostendam: *cogitationes hominis non possunt, nisi ex factis ejus dignosci*. Facta hæc erunt vel *verba*, vel *facta in specie sic dicta*. Ibi consensus *expressus*, hic *tacitus*. *Facta in specie sic dicta* sunt signa arbitrarya, definitum prorsus significatum raro admittentia. Caput rei itaque hac in parte semper eo redibit: an quis *cum certitudine* ex factis alterius concludat, an vero solum *cum probabilitate*: ibi aderit *consensus certus*, hic *probabilis*, quem WOLFFIUS & cum eo recentiorum nonnulli quoque *præsumptum* vocant, qui vero a *consensi præsumpto* Juris Romani toto cœlo differt. Quæ quidem argumentatio nunc commodius ex sequenti schemate patebit:

## Consensus est

verus	fictus s. <i>præsumptus</i>
<i>expressus</i> ,	in sensu Juris Romani.
<i>certus, probabilis</i>	<i>certus, probabilis s. <i>præsumptus</i></i>
	in sensu WOLFFIANO.

Cogit vero nunc DARIENSIUS ex dictis sequentes regulas 1) *consensum præsumptum* duriori sensu acceptum, semper fictum & nunquam probabilem esse 2) *consensum probabilem* consensum impropriæ vocari 3) eum nunquam id operari posse, ut alter ad aliquid præstandum perfecte obligetur;

4) *consensum expressum & tacitum tunc demum hunc effectum producere, cum certus est.*

### Pos. XIX.

Huic quidem doctrinæ DARISSIANÆ nunc multi multa opposuere, fundata alia, alia minus. Quando enim ad evertenda ejus fundamenta hoc jam statim afferunt, auctorem ejus, *consensum præsumptum* aliter plane depingere, quam quidem veteres fecere Romani, aut illi, qui ex recentioribus Philosophis eundem tuentur, tum profecto vereor, ut sat idoneis hoc suum assertum rationibus muniverint, ita ut probari illud omnibus facile possit. Ajunt enim, tam istos, quam hos non meræ fictio ni suum de validitate *consensus præsumpti* dogma superstruxisse, sed potius genuinas, quas logica ars præscribit, de *probabilitate* regulas habuisse oculos. Ast hæc quidem res mihi probata videtur difficultima. Certe principia, quæ Jure Romano de quasi-contractibus panduntur, alia omnia innuere, vel sola *negotiorum gestio* docet, ex qua quippe & infantes, furiosi, mortui, embryones, etiam invititi, veluti ex quasi-contractu involuntario tenentur. Hic sane ex ipsa re gesta, sive facto licito, utilitatis & æquitatis caussâ lex consensum præsumebat. Hoc ipso vero satis, mea sententia caussæ habuere interpres, ut fundamenta quasi-

contractuum in Jure Romano occurrentium ex *præsumpto* i. e. *ficto* consensu derivarent. ( Pos. XVII.) Nec vero quis mihi porro hoc facile persuaserit, recentiorum de *consensu præsumpto* fortiori significatudinato, *præcepta* a *fictionis* labe absolvii conimode posse. Aut enim nihil plane video, aut hoc me perspexisse confido, fundamentum acquiritio-  
nis bellicæ a KOEHLERO allatum, meram sapere fictionem, nec longe ab eadem abesse CANZII doctrinam, qua legum violatores, eo ipso dum peccant, simul in poenam suam *præsumptive* confessare statuit. Talis consensus *præsumptus* omnino est figmentum, & non-ens sensu juridico acceptum. Graves proinde caussæ DARIESIO in promptu erant, cur eundem ex juris naturalis sphæra proscriberet; eoquod obligationis vis in casibus ejusmodi obviis, planiori multum methodo, & ex idoneis magis & limpidioribus fontibus repeti potest. Vix igitur erit, ut hujus farinæ dubiis saniores se se a doctrina ejus avelli patientur. At vero alia nobis suppetunt, & quidem haud exigui ponderis momenta, circulos ejus mire, ut quidem nos existumamus, turbantia, quibus nondum, quod satis est, vel ab ipso, vel ab aliis, ejus *præcepta* in deliciis habentibus, satisfactum forsan videri potest.

*Leges Jur. Rom. apud Ev. OTTONEM l. c.*

Pos. XX.

## Pos. XX.

Nuntium itaque mittit Cel. Adversarius confusi *præsumpto*, qui fictus est; & id quidem restringe: ait an æquali jure etiam *probabilem* rejicit? de eo quidem adhuc restat, ut disputemus. Ego vero id mihi semper habui persualissimum, fictionibus quidem ad regulas iusti & injusti explicandas uti nefas esse, ait probabilitatem atque veritatis *præsumptionem*, si *humanæ naturæ* indolem spectes, a jure naturali abesse minime posse. Certe non video, si hæc mittas, quibus tandem vinculis constringeretur sermonis, promissi, jurisjurandi, pacti omnisque negotii inter mortales gesti fides? Aut retinenda sunt in serie præceptorum naturalium probabilitatis argumenta, aut summa rerum omnium tam quod ad doctrinam, quam quod ad vivendi normam attinet, inducenda erit incertitudo. Nihil inter utrumque video intermedium. Hujus vero opinionis nostræ rationes ita erunt expediendæ, ut primo DARISSI ratiocinium, quo convellere eandem agreditur, palmarium, curatius sub examen vocemus, illud vero cum principiis, quæ in aliis Juris naturalis capitibus passim spargit, comparemus, & denique, quid nostræ ferant cogitationes, in medium proponamus, liberrima quicquid lubet, statuendi facultate cuilibet relicta.

E

## Pos. XXI.

Argumentum potissimum, quo validitas consensus *probabilis*, seu *presumpti* sensu minus duro accepti, impugnatur, huc redit. Cogitationes hominum nonnisi ex eorundem *factis* colligi possunt; sub *factis* vero sensu latiori ita dictis, etiam *verba* & *sermo* intelligi debent. Ubi igitur nulla alterius *facta*, ibi nulla ad inducendum ejusdem consensum ratio. (Pos. XVIII.) Atqui ita comparata est consensus *probabilis* natura, quippe qui ex nullo alterius *facto*, sed solum ex aliis momentis, probabilibus quidem, sed mentem alterius non indicantibus, derivatur. Quicunque autem nunc sic suas rationes subducunt, aliunde scilicet quam ex *factis*, aliorum consensum, obligandi vim producentem, inferentes, illi in sua cogitatione sola omne hujus obligationis, qua alterum constrictum putant, punctum ponunt. Enimvero, cum nunc a ratione omnino alienum est, solis nostris cogitationibus, aliorum voluntatibus velle obligationum injicere vincula, prono inde fluit alveo, consensum *probabilem* nullam ad imponendam aliis faciendi quid necessitatem vim habere, eumque proinde revera nullum esse, jurisque effectum operari non posse. Duæ latent, nisi totus fallor, in hoc cogitandi ordine assumptiones, bene multis dubiis

adhuicdum obnoxiae. Nego primo, quod vero  
leve est & rem omnem non statim confidere in-  
genue fateor, cogitationes hominum nonnisi ex factis  
eorundem palam fieri posse. Nego autem deinde,  
quod præcipuum, eos, qui consensum probabilem ad-  
mittunt, eundem ex alio plane, quam ex factis alterius  
fonte deducere; seu, quod idem est, fundamentum  
ejusmodi præsumptionis unice situm esse in illius, qui  
de alterius voluntate judicat, cogitationibus. Non  
enim, quod ad primum attinet, video, quid ob-  
stet, quo minus etiam aliunde, quam ex factis,  
probabili quadam ratione aliorum animi sensa pos-  
sint dijudicari. An non poterit interdum contin-  
gere, ut etiam ex aliis tam in hominibus natura  
ipsa reperiundis, quam extra eundem constitutis  
momentis, de animi cogitationibus fieri queat  
conjectura vero admodum similis? An non natu-  
ralis hominis hujus vel illius genius, mores, in-  
clinationes, propensiones, habilitates, quin &  
ipsa sanguinis temperatio, aliaque hujus generis  
multa, passim nobis fudderere solent, eorum quæ  
cogitat, indicia non profrus obscura? Si hoc in  
dubium voces, simul ipsa principia psychologica,  
prima quasi cognitionis humanae elementa neges,  
necessæ est. An non porro ea, quæ extrinsecus  
homini adveniunt, nonnunquam apta sunt & ido-  
nea, ut exinde de iis, quæ cogitet, quæ velit, quæ  
cupiat, satis tuto statuere liceat? Prævideo qui-  
dem, quæ objici possunt, scilicet, haec omnia ta-  
men ita videri comparata, ut intra meræ probabili-

*satis stricte sic dictæ terminos subsistant, nec assur-*  
*gant ad summum ejus gradum, quem certitudinem*  
*moralem vocare moris est, quique, licet nunquam*  
*mathematicæ probationis vim attingat, qua nempe*  
*ita evicta sit asserti veritas, ut ejus contrarium*  
*manifesto repugnantiam involvere appareat, hoc*  
*tamen ad minimum operari in intellectu humano*  
*debet, ut ipsi nulla idonea, contrarium admit-*  
*tendi, causa superesse possit. Pulchre & egregie*  
*hæc dicuntur, sed nec hoc est, quod volo. Argu-*  
*menta enim allata omnino, si sola sint, non fa-*  
*cile moralem productura videntur certitudinem, sed*  
*accendant oportet & alia, quæ cum ipsis primi ge-*  
*neris simul sumpta doceant, nostrum de alterius*  
*cogitatis ac voluntate rite formatum esse judicium.*  
*Exempla huic causa nostræ poterant forsai lu-*  
*cem aliquam affundere. Titius Mevium ami-*  
*cum suum absentem, tristem quendam casum in-*  
*fortunii perpeccum, ad incitas fere redactum esse,*  
*certior redditur, ipsis simul auctiatur, Me-*  
*vium in urgentissima necessitate positum, ubi ali-*  
*quot mille thalerorum compos fieri poterit,*  
*istum mali hujus acerbioris impetum a se re-*  
*pulsurum fore. Titius, litteris ad Mevium datis,*  
*optatam pecunia summam eidem generose offert.*  
*An non hoc in casu, antequam responsio Mevii*  
*afferatur, moraliter certum erit, ipsum ad acce-*  
*ptandum primum & proclivem fore, suumque*  
*consensum lubentissime esse impetratum. Si dif-*  
*fentias, veritatem psychologicam non agnoscas,*

*quemlibet velle id, quod ipsi bonum, atque porro neges, necesse est, quam toto die cantat ipse D A R I E S I U S, regulam: pro naturali präsumendum esse, donec probetur hypotheticum.* Aliud. Stichus servus furti accusatus, delictum a se commissum esse pertinaciter negat. At vero probatur, eundem iam saepius saepiusque res alienas invitis dominis fraudulenter abstulisse, ipsumque longa quasi exercitatione non solum facilitatem quandam mala ejusmodi actionis felici successu absolvendæ, sed plane etiam habitum quandam ejusdem saepe perpetrandæ, & consuetudinem, quæ altera natura dicitur, contraxisse. An non hic jam adest haud exiguus probabilitatis gradus, eundem etiam ab hujus furti accusatione ægre fese liberaturum esse? An non hoc ipsum deinde, si alia præterea, ex iis, quæ circumstant, descendenter argumenta accedant, eum poterit æquare probabilitatis gradum, qui *moralis certitudo* audit, judicisque, justitiam rite administraturi, animum eo movere, ut Stichum, etiam si adhuc dum dissentientem, crimenque impudentissime diffidentem, condignæ poenæ subjicit.

## P o s. XXII.

Jam vero, quæ nunc altera est D A R I E S I I, confensum *presumptum* omnem rejiciendi, caussa,

E 3

& hoc negamus, *fundamentum præsumptionis secundum probabilitatis regulas de mente alterius rite formatae, unice positum esse in præsumptis cogitatione.* Semper enim distinguendum esse censeo inter casum, ubi nulla plane adsunt facta, & inter illum, ubi talia quidem suppetunt, sed quæ tamen ad colligendam inde alterius voluntatem sola non sufficiunt. In ito casu nulla obligatio. Id facile largior. At quo minus idem de hoc pronuntiem, gravis me impedit ratio. Arbitror enim, de eo tunc adhuc disquirendum esse, in quoniam sita fit hujus defectus causa & ratio, seu quod idem, id videndum esse, an ego male judicaverim de mente alterius, adeoque an a mea parte culpa & negligentia stet? aut an potius alter iste, de cuius animi sensibus mihi judicium ferre incumbebat, vel in loquendo, vel in agendo sive dolum sive culparum admiserit? Quodsi iste alter vel verborum quadam ambiguitate, sive nunc ad fallendum me & decipiendum comparata, sive ex mera quadam at supina negligentia profecta, alium mihi, quam uti par erat, de suis cogitationibus sensum ipse suggererit, vel actiones suas ad animi sensa aperiunda tendentes, rursus sive justo negligentius, sive artificiose & de industria quasi, fucum quandam meis oculis ita obducturus, præpostere satis adornaverit, tunc quidem ad præstandum vel invitus adigendus erit. Quodsi vero e contraria parte ego vel malitiosa verborum alterius aut factorum interpretatione

peccaverim, vel, uti decuisset hominem rationis lumine instructum, non secundum regulas iudicandi naturales ex ejus factis aut verbis rationes meas subduxerim, tum quidem iste alter ab omni plane obligationis vinculo erit solutus, egoque ipse datus esse aut fraudis aut supinæ incuriae justissimas poenas. Ratio, cur factum Titii ad eruendam inde ejus voluntatem mihi non sufficiat,

vel sita est

in me	in Titio;
nulla nascitur Titio	nascitur Titio
obligatio	obligatio

Nunc ex duobus unum. Aut enim *vere* a nobis dissentit DARIUS, aut *verbis* solummodo discedit. Si posterius, æquissimas ipsi offerimus pacis conditiones. Nam ex ejus systemate aderit obligatio, sed ex capite *culpa* enata, ex nostro eadem æque locum habebit, sed ex fundamento *consensus probabilis*. At vero & hoc deinde nobis largendum erit a Philosopho, quod supra notavimus, quodque actu, nisi admodum iniquus sit, facile nobis largiri poterit, *consensus* nempe naturam in *abstrato*, ut ita loquar, *determinari* non posse, sed vocabulum hoc ex illis esse, cuius ratio demum per relationem ad aliud definitur, seu quod eodem recidit, diversas *consensus qualitates* unice pendere a gradu cognitionis, quo unus de alterius animi

cognitionibus judicat. Ex quo quippe hoc deinde conficitur, rem omnem ultimato semper ad causam *culpa* redire, an nempe illa vel in me lateat, in cognoscendo & judicando forsan humani quid passo, aut in altero, eo quod suis verbis vel factis proferendis debitam aut fidem aut diligentiam non adhibuit, sive, ut cum ipso adversario loquar, quod *falsa data mibi subministravit*. En exemplum, quale, si bene memini, ipse D A R I E S I U S alicubi afferit. Sempronius cauponam intrat, mensa accubit, & ut ipsi cibi ac alimenti quid suppeditetur, comiter petit, nulla mentis declaratione facta, an gratias, an vero animo pretii solvendi id petat? finitis epulis bene potus & bene nutritus Sempronius hospiti suo urbanissime valedicit, gratiasque impense agit pro humanitatis officio ipsi adeo prompte praestito. Irrisum se putat caupo, atque pretium rerum venditarum a Sempronio rigido vultu postulat. Negat vero hic, se animo solvendi haec omnia sibi cepisse. Quod exemplum a D A R I E S I O suppeditatum fere simile est illi, quod occurrit in drame, cui titulus: *Arlequin Sauvage*; ubi scilicet ficta ista feri & simplicis hominis persona oblatas a mercatore merces gratissima mente accipit, pretiumque postea a mercatore petitum solvere detrectat. Quæritur vero nunc, an ad solvendum remediis coactionis a caupone potuerit adstringi Sempronius? Resp. affirmando. At ex quonam fundamento? nos dicimus, ex consensu suo probabili; D A R I E S I U S ma-  
vult.

vult, quod ex culpa teneatur, ex eo scilicet, *quia data alteri dedit*. An non hoc idem illud est, quod nos dicimus? coecus sit oporteat, qui id non viserit. Sin vero prius, tunc sane malam defendit caussam. Firmo enim talo nituntur regulæ,  
 1) probabilitatem ex disciplinis moralibus, & in specie jure naturali exterminari non posse;  
 2) in rebus facti aliam, quam moralem certitudinem haberi non posse. *Verba enim & facta* proprie sic dicta sunt signa arbitraria, communi quidem quasi hominum decreto, seu potius consuetudine pacti vicaria, certam quandam vim & significationem naœta, attamen neutiquam ejus in-dolis, ut cum certitudine, quam mathematicam appellant, alterius cogitationes nobis manifestent.  
 3) qui potuit & debuit mentem suam perspicue & distincte declarare, nec fecit, is in culpa est, adeoque obligatur.

## P o s. XXIII.

Arbitror adhucdum, D A R I E S I U M tantum verbis nobiscum certare; saltem firmatur magis magisque haec mea conjectura, quoties reliqua principia, ab ipso subinde in doctrina juris naturalis propinata, evolvere, & paullo sollicitius mecum reputare soleo. Ipsius profecto sistema non cohæret, nisi circa *consensus probabilis* naturam,

F

quod ad rem ipsam nempe attinet, nobiscum exactissime conspiret. Primo enim admittit, uti nos, etiam *facta omisiva*, ceu talia, ex quibus confensus alterius & que ac ex *commisiva* induci possit. Quoad utrumque vero *factorum* genus porro cum GRO TIO duo requirit ad id, ut pro signis eorum, quæ cogitet vel velit alter, haberi possint, ut nempe *facta* ista sint 1) *voluntaria*, 2) *suscepta in talibus rerum circumstantiis*, quæ indicent, eadem alium quam unicum & definitum quandam significatum habere non posse. At hoc rursus est, quod volumus. Ipsa *verba*, ab altero prolata, si sola sint, & per se spectentur, certitudinem nobis de cogitationibus alterius non fugerunt. Summa hominum est inconstantia in loquendo. Eadem verba ab uno alii plane, quam ab altero, quin ab uno latiori, ab altero angustiori sensu subjiciuntur. Difficile saepius admodum est, aliorum verba recte intelligere, sciteque interpretari. Nec fieri commode potest, ut rem acu tangas, nili summa utrinque & ab altero loquente, & a te, verborum alterius interprete, cautio fuerit adhibita. Dantur præterea homines, qui aliud ore gerunt, aliud corde premunt, dantur, qui sermonem vel dolo vel negligentia abutuntur. Quintimo solemus interdum ineptis percontatoribus, ea quæ scire ipsorum nihil plane interest, importune ex nobis querentibus, ut interrogare definant, vague respondere, vera tamen animi nostri sensa aperire minime. Si hoc circa ipsa *verba* valet,

quæ tamen signa sunt voluntatis declarandæ ordinaria, magisque multo perspicua quam facta, quidni potiori adhuc jure idem erit de his pronuntian-  
dum? quæ quippe ad certitudinem ilorum num-  
quam adspirant. Igitur & in verbis & in factis, in  
his tamen magis, quam in ipsis procedit regula,  
quod conjecturam solum probabilem de mente alte-  
rius operentur, neque certam, donec alia concur-  
rant, ex iis, quæ circumstant, desumenda. Re-  
ctissime itaque & apposite GROTIUS: *Signa nulla*  
*de animi actibus certitudinem habent mathematicam, sed*  
*probabilem tantum: nam & verbis eloqui aliud possunt*  
*homines, quam quod volunt & sentiunt, & factis simu-*  
*lare.* Res ergo omnis semper ad caussam probabi-  
litatis redit, cuius gradus, uti *majus & minus* om-  
nino possunt ex accidenti variare, adeo vero, ut  
ipsa rei *essentia* inde nihil capiat detrimenti. Rur-  
sus proinde vel consentit nobiscum in his adversa-  
rius, vel dissentit; si hoc, vel *verbis* vel *re ipsa* id  
agit. Ibi habemus, quod volumus, hic vero ma-  
lam iterum defendit caussam. Porro si etiam hæc  
non sufficerent asserendæ causæ nostræ, quo quæ-  
so fundamento suffulta est omnis doctrina, quam  
late pandit, fuseque contra dissentientes propugnat  
in suis de Jure naturali libris DARIETIUS,  
ad demonstrandum, successionem ab intestato,  
quæ pro sanguinis propinquitate certis personis  
defertur, Juris naturalis esse? nullo certe alio,  
quam præsumpta defuncti voluntate naturalibus  
que de probabilitate regulis. Evolvas eam, cu-

rateque sub examinis incudem revoces, & perspicies statim, dicta hæc non fangi a nobis, sed ex rei veritate procedere. Novum istud principium successionis, quam legitimam vocant, Jure Romano recentiori, i.e. Justinianeo stabilitum, quo illi ad defuncti hereditatem, quos vivus præ omnibus aliis maxime amasse censetur primum, & post hos reliqui, singuli pro arctiori sanguinis vinculo, quo defuncto juncti, deductioque inde majoris amicitiae gradu, vocantur, ex alio derivari fonte, nisi ex præsumptione amoris, quo diversimode certas personas complexus videtur defunctus, non potest. Quid vero hoc aliud quam præsumptus vel probabilis consensus? quid hoc aliud quam regula moralis ex doctrina de probabilitate illata? Quæ ipsa ex præsumpto defuncti consensu collecta præcepta de succedendi modo naturalia uberioris deinceps exposuit G R O T I U S, novis vero quibusdam *observationibus* a fecus sententium, Ill. præcipue C O C C E J I dubiis vindicavit D A R I E S I U S. Luculentissima quoque hujus rei documenta fistunt ea omnia, quæ amplissime ex probabilitatis caussa repetit adversarius, ad probandum, jure naturali non illicitum esse, vicinam gentem ob solum nimiæ potentiae metum bello aggredi. Possent addi alia, si opus esset. At properandum potius est ad finem quæstionis, ut scilicet tandem, quæ nobis hæreat sententia? paucis quoque exponatur.

DARIES Inst. Jurisprud. univ. §. 401. & Prælect. ad  
h. l. porro Inst. J. U. S. 642. & Præl. ad h. l.  
EJ USD. Observ. Jur. Nat. Vol. II. Obs. 57. & 64.

GROTIUS L. II. C. 7. de J. B. & P.

COCCEJUS ad hunc locum GROTIUS.

## P o s. XXV.

Quod in excutiendis quæstionibus inter DDres  
controversis fæpenumero usu solet venire, ut nem-  
pe diutius aliorum dubiis, quibus rei per se claræ,  
vel ingenii ostentandi cauſa, vel alia ex ratione  
tenebras offendere annisi sunt, convellendis,  
quam propriæ sententiæ explanandæ immorandum  
fit, id quidem & in hac cauſa nobis præfertim ac-  
cidit. Remotis enim nunc, uti videtur, quas  
otiose fatis cumularunt adversarii, difficultatibus,  
nihil erit reliqui, quam ut vel paucissimis & per  
diuaneq; adiutoriū quasi mentem nostram, jam per se ex-  
dictis abunde elucecentem, aperiamus. Rem ip-  
sam paucis sic habē! In cauſis, ubi de voluntate  
alterius aliquid est statuendum, quo judicium de  
eadem rite formari possit, duo requiruntur, ut  
alter voluntatem suam per signa externa rite & ad  
normam rationis æquitatisque declaret, & dein,  
ut ego ex talibus signis conclusionem rite quoque  
inducam: si alter peccat, in culpa est, si ego hanc  
officii mei partem minus apte impleam, ego sum


F 3

in culpa. Signa ista externa sunt *facta*, quæ *vo-*  
*luntaria & moraliter certa* sint necesse est. ( Pos.  
XXIII. ) *Facta* sunt vel *verba* vel *facta in specie sic*  
*dicta*, hæc rursus vel *vera facta* vel *non-facta*, seu  
*quod idem, aut commissiva aut omisiva*. Hæc signa  
*per consequens omnia & singula mathematica certi-*  
*tudine voluntatem alterius non indicant.* ( Pos.  
XX. XXI. XXII. XXIII. ) Inde tres coguntur  
*regulæ: 1) omnis consensus est probabilis; 2) qualitas*  
*ejus variat pro varietate circumstantiarum, hoc est,*  
*nil nisi gradus probabilitatis diversi hic in censum*  
*veniunt; 3) omnia in hac tota disquisitione semper pen-*  
*dent a culpa; prout ea nempe vel a parte declaran-*  
*tis mentem suam, vel a parte iudicantis de mente*  
*alterius, militat.* Si itaque ego in caussa sim ipse,  
*cur perperam interpretatus fuerim alterius signa,*  
*tum quidem nullus admissi potest a parte alterius*  
*consensus, proindeque nulla obligatio.* Sin vero  
*alter in exferendis ejusmodi signis parum accurate*  
*sit versatus, tunc ex consensu suo obligationis vin-*  
*cculo subjiciendus erit. Verum enimvero reponit*  
DARIESIUS, adesse quidem obligationem, ast  
*solum ex culpa, non ex consensu oriundam.* Quid  
autem inde? sic enim nec expressus consensus,  
*consensus erit.* Titius verba profert, eaque ad  
*Meyium dirigit, hic actiones suas ad ista verba ac-*  
*commodate instituit, nascitur inde Titio obliga-*  
*tio; at hic ex post facto negat, mentem suam re-*  
*cepisse Meyium, quamvis eundem minus apte-*  
*rationes suas adornasse probare neutiquam possit.*

Titius hoc in casu a judice æquo tamen condemnabitur in id, ut obligationi contractæ satisfaciat, ex capite *culpa*, quod D<sup>A</sup>RIESIUS afferit, seu quod data *Mevio* dederit, sed ex nostra sententia, ex *consensu*: quæ vero, quod inculcari satis nequit, pari passu ambulant.

En itaque nunc tabulam ad nostrum captum accommodatam, atque rem ipsam, uti speramus, aliquantum planiorem reddituram:

Confensus alterius eruitur



## P o s. XXV.

In placita itaque Doctorum , causam præscriptionis naturalem non agnoscantium , inquisivimus hactenus late . An æque bene ? id nostrum non est discutere . At hoc tamen confidentius dicere non ambigimus , nos omnem movisse lapidem , ut tripartitum istud , fundamento usucapionis naturali oppositum argumentum , quod quippe omnium gravissimum , & a *pœna* jure naturali non definita , a *tempore* eodem jure incerto , & denique a *confusione praesumptio* eidem incognito , desumptum est , omni vi & efficacia , quæ tribui ipsi potest , proponeremus , quo nempe nihil omitteretur eorum , quæ subtilissime ad idem stabiliendum fuerunt prolata , subjunctis deinde , quibus illud infringi prorsus posse , nos quidem opinati sumus . Nihil itaque nunc supereft , quam ut nostram quoque sententiam , seu potius quam nostram facimus doctrinam GROTIANAM , de præscriptione in jure naturali fundata , & inter liberas etiam gentes suum usum exserente , firmo , uti decet , rationum pondere muniamus . Multis quidem in hac disquisitione jam superfedere commode poterimus observationibus singularibus , utpote in exponenda & refutanda contraria opinione jam sat abunde sparsis . Reim omnem itaque brevi tabula complectamur .

Etiamur. Ecce, si recte quidem ceperimus Vir Summi mentem! Quilibet potest dominio suo rei nuntiare: quod dum facit, res induit naturam rei derelictæ, seu rei nullius, quæ pro indeole harum rerum cedit primo occupanti. Hic ergo locum habet occupatio, quæ quoad effectum quidem, non vero semper quoad formam ita vocari potest. (Notæ ad Tab. Pos. XIII.) Hinc etiam inscriptio ipsa capitis GROTIANI ita fert: *De derelictione presumpta, & eam secuta occupatione: & quid ab usucacione & prescriptione differat.* Abdicatio dominii pendet a voluntate abdicantis. Sola vero hæc voluntas, pro nudo animi actu sumpta efficiuntiam juris non tribuit. Humanæ enim naturæ congruum non est, aliunde, quam ex signis dijudicare actus animi, qui intra mortalium pectora continentur: atque inde etiam generatim in jure arbitrario procedit axioma, actus mere internos legibus humanis non subjacere. Adeo itaque remotus est GROTIUS ab erronea eorum interpretatione, qui ipsi exprobrant, quasi derelictionis præsumptionem ex meris quippe fictionibus petitam, nullis idoneis fundamentis superstructam voluerit, ut potius mox ab initio sollicite innuat, non temere esse de voluntate alterius, quippe actu mere interno, pronuntiandum; verum signa externa in subsidium esse vocanda. Voluntas hominis proinde, ut de ea judicare alii rite queant, *externe* sese exercere, in signa quædam, quæ in sensu aliorum incurvant, *externa* erumpere debet. Hæc signa

G

vero per se *certum* non habent significatum, sed folummodo *probabilem*, quippe ex impositione hominum, consuetudine, eoque quod plerumque fieri solet, dijudicandum. ( Pos. XXIII.) At vero si itaque nunc quis verbi caussa signa quædam proferat, quæ ob rationes allegatas hunc definitum sensum, derelinquendi nempe voluntatem, plerumque indicare solent, tunc hoc, licet probabilitatis faltem speciem & nullatenus certitudinem præ se ferat, tamen contra signa eadem proferentem pro vero est habendum. Est enim hæc ratio naturæ hominum moralis, quæ non patitur, ut actibus animi sufficienter indicatis nulla sit efficacia. Æquissima itaque ratione, quod sufficienter indicatum est pro vero habetur aduersus eum, qui indicavit. Probat hic eruditus Batavus, & summo quasi digito tangit, quæ nos supra de necessitate præsumptionis in Jure naturali fuisus sumus perfecuti, admissa scilicet regula WOLFIANA: quod in casu dubio, quando certitudo haberi nequit, rite præsumitur, id in negotiis humanis contra eum pro vero habetur, contra quem fit præsumptio. Quam quippe regulam pro genuino præscriptionis fundamento agnoscimus, cujusque veritas, necessitas & utilitas maximopere in oculos incurrit, uti in omnibus aliis, ita maxime in caussa acquirendi vel amittendi dominii. ( Pos. XX.) Dominia particularia, ab ipsa rerum natura non esse introducta, inter siores omnes constat. Natura tale institutum folummodo approbat, & quasi in-

dicat hominibus, quippe ad generis humani salutem egregie comparatum. Donavit Deus res mortali bus ad unum omnibus indefinite, quippe ad sustentationem eorum necessarias, sed ipsa dominia inter singulos non descripsit, cupiens potius pro infinita sua prudentia & justitia, ut singuli inter illos rebus his in medio expositis & acquirendis & excolendis ita studerent, quo possent ferre suæ industriae, sui laboris condigna proemia. His ita comparatis omnino incongruum & absolum foret, adeo late velle juris hujus dominii particularis, extendere fines, ut singulos pro libitu eodem in perniciem generis humani abuti posse statueremus: id quod omnino continget, desuper in hac caufsa habitis naturalibus de præsumptione regulis. Et hoc est, quod vult ORATORUM PRINCEPS: quam autem habet aquitatem, ut agrum multis annis, aut etiam seculis ante possessionem, qui nullum habuit, habeat, qui autem habuit, amittat? Sed malo, quæ forsan nimis crudelis & tumultuario ordine a me proponerentur, nitidissimo Philosophi Helvetti saepius laudati Dn. DE VATTTEL stilo, proferre. En quæ hac de caufsa solide æque ac ingeniose differit! *La nature n'a point elle même établie la propriété des biens & en particulier celle des terres; elle approuve seulement cette introduction, pour l'avantage du genre humain. Dès lors, il seroit absurde de dire, que le domaine & la propriété une fois établis, la loix naturelle puisse assurer au propriétaire quelque droit, capable de porter le trouble*

dans la société humaine. Tel seroit le droit de négliger entièrement une chose qui lui appartient , de la laisser pendant un long espace de temps sous toutes les apparences d'un bien abandonné , ou qui n'est point à lui , & d'en venir enfin dépouiller un possesseur de bonne foy , qui l'aura peut être acquise à titre onereux , qui l'aura reçue en héritage de ses peres , ou comme la dot de son épouse , & qui auroit fait d'autres acquisitions , s'il eut pu connoître que celle là n'étoit ni légitime ni solide . Loin de donner un pareil droit la Loy naturelle prescrit au propriétaire le soin de ce qui lui appartient , & lui impose l'obligation de faire connoître ses droits , pour ne point induire les autres en erreur : elle n'approuve sa propriété , elle ne la lui assure qu'à ces conditions . S'il la néglige pendant un temps assez long , pour qu'il ne puisse être admis à la reclamer , sans mettre en péril les droits d'autrui , la loi naturelle ne l'admet point à la revendiquer . Il ne faut donc point concevoir la propriété , comme un droit si étendu & tellement inammissible , qu'on puisse le négliger absolument pendant long tems , au risque de tous les inconveniens , qui en pourront résulter dans la société humaine , pour le faire valoir ensuite , suivant son caprice . Pourquoi la loy naturelle ordonne-t-elle à tous , de respecter ce droit de propriété dans celui , qui s'en fert , si ce n'est pour le repos , le salut & l'avantage de la société humaine ? Elle veut donc par la même raison , que tout propriétaire qui néglige son droit pendant long tems & sans aucune juste raison , soit présumé l'abandonner entièrement & y renoncer . Voila ce qui forme la présomption absolue , ou juris & de jure , de l'abandonnement , & sur laquelle

un autre se fonde légitimement, pour s'approprier la chose abandonnée. La présumption absolue ne signifie pas ici une conjecture de la volonté secrète du propriétaire, mais une position, que la loi naturelle ordonne de prendre pour vraie & stable, & cela en vue de maintenir l'ordre & la paix parmi les hommes: elle fait donc un titre aussi ferme & aussi juste, que celui de la propriété même établi & soutenu par les mêmes raisons. Le possesseur de bonne foi, fondé sur une présomption de cette nature, a donc un droit approuvé de la loi naturelle; & cette même loi, qui veut, que les droits d'un chacun soient fermes & certains, ne permet point, qu'on le trouble dans sa possession.

GROTIUS *l. c.*

WOLFFIUS *l. c.*

WERLHOFIUS *l. c.*

DE VATTEL *l. c.*

CICERO de *Offic. L. II. C. 22.*

## Pos. XXVI.

Ex signis itaque inferenda est hominum voluntas, uti in aliis omnibus, ita & in caussa derelictionis. Haec vero signa nunc pro rerum humana-  
rum indole duplieis sunt generis, ordinaria alia,  
alia minus ordinaria. Per ista verba, per haec facta

G 3

intelliguntur. De *verbis* quidem expedita res est. Hæc enim in caussa præscriptionis vel plane non vel nonnisi rariissime in censum veniunt, & si venirent, tum quidem dominus rem titulo usucacionis ab alio possessam repetiturus, ab hoc mox posset repellere. Quando enim semel animum suum derelinquendi declaravit verbis claris & perspicuis, tum quidem nullum ipsi succurrerit juris remedium, effectum hunc sermonis moralem reprimendi. Verum de *factis* difficilior multum est disputatio. (Pos. XX. & seqq.) Facta autem nunc sunt vel *positiva* vel *negativa*, seu, vel *facta* vel *non facta*. Id enim iterum fert naturæ hominum moralis ratio, ut sub *factis* etiam non facta comprehendamus, sed considerata cum debitibus circumstantiis. Sic qui sciens & præsens tacet, videtur consentire, nisi circumstantia ostendant, metu eum vel alio casu impediri. Sic amissum censetur illud, cuius recuperandi spes projectitur. Sic qui rem suam ab alio teneri scit, nec quicquam contradicit multo tempore, is, nisi caussa alia manifeste appareat, non videtur id alio fecisse animo, quam quod rem illam in suarum rerum numero esse nollet. Signa itaque voluntatem hominis indicantia sæpius etiam in *facto* & non *facto* consistunt, rerumque inter homines conditio postulat, ut ex his quoque in foro externo cogitationes eorum dijudicentur. Inde itaque decidendum erit, an ex mero domini silentio præscriptionis caussam *justificam* repeatat Vir sumus? & an illi, qui cum eo hunc modum ac-

quirendi dominii naturalem defendunt, ex nullis plane signis idoneis argumententur, caputque rei solum in eo ponant, ut suis solis cogitationibus alteri obligationem injungere fatagant? Regula, quam sepius in vita communi audimus, *qui tacet, consentire videtur*, in Jure civili ita expressa, *qui tacet, non utique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare*, & in Jure Canonico, *is qui tacet, non fatetur, sed nec utique negare videtur*, certe ita crude intelligi non potest; quasi ex mero alterius silentio consensus, & inde obligatio illius ad faciendum vel praestandum quid, sit inferenda. Potest enim tacere & qui consentit & qui dissentit. Potest, de quo interrogamur, tantopere nobis displicere, ut moleste ita quærentem ne quidem cui respondeatur, dignum judicemus. Potest quis adeo inepite, ut quid a nobis fiat, exigere, potest id, quod a nobis petitur, per se adeo incongruum vel injustum esse, ut ne quidem responsi quid dandum esse arbitremur. Ratio ergo silentii est indaganda. Inde omnia pendent. At vero hæc ratio in nostro casu omnino ex conjecturis est defumenda. Et hæc quidem debent esse fortissimæ, cum ad res suas derelinquendas, si ex eo, quod plerumque fit, presumas, uti præsumendum est, homines non soleant esse proclives, sed potius earundem servandarum tenacissimi. Ergo ut hic ex silentio quid colligas, præcipue hoc statim requiritur, ut silentium sit *scientis & libere volentis*, cum nescientis silentium effectum moralem non operetur, nec imputari

possit, quod non egerit, illi, qui licet voluntatem enixam habuit, tamen potestate agendi destitutus fuit. Quando autem quis ex adversa parte & potuisset loqui aut agere, & debuisset, tum quidem non video, quidni ejus silentium sit pro signo habendum declarati abunde animi, quod rem suam derelinquere, nec amplius in suis habere velit? Insignis enim oriatur in hominum societate confusio, ingens jurium incertitudo, nisi homines ipsa lege naturali ad jura sua conservanda riteque custodienda obstrictos censeremus. Meo quidem judicio, qui scit, alterum rem suam tenere, & ejusmodi actus circa eandem exercere, quibus jus suum conservari non potest, nec tamen contradicit, protestationemque, uti practici loquuntur, interponit, non pro dissentiente, sed pro consentiente habendus est. Qui enim, ubi contradictione opus est, tamen non contradicit, de eo certe prælumendum, quod juri suo renuntiare velit. Nisi hoc admittas, corruit omnis societatis humanæ compages. Juvat rursus hic apponere verba Dn. DE V A T T E L: *Tout propriétaire, qui fait, ou qui omet expressément des choses, qu'il ne peut faire ou omettre, s'il ne renonce à son droit, indique suffisamment par là qu'il ne veut pas le conserver, à moins qu'il n'en fasse la réserve expresse.* On est sans doute en droit de prendre pour vrai ce qu'il indique suffisamment dans les occasions, où il doit dire la vérité; par conséquent on présume légitimement, qu'il abandonne son droit, & s'il veut un jour y revenir, on est fondé à lui opposer la prescri-

*préscription.* Cogitur igitur ex dictis, illum, qui ex tali signo silentii judicat, remque alterius *scien-*  
*tis & libere volentis* animo sibi habendi servat, li-  
 berrimeque de ea disponit, nullius culpæ reum  
 esse, sed potius secundum sanæ rationis præcepta  
 suas instituere actiones. Verum nunc tamen non-  
 dum expedita res est. Remanet enim semper  
 quæstio, an revera tale silentium sit *scientis*, uti  
*GROTIUS* loquitur, & *libere volentis?* unde hoc  
 tuto elicere poterit possessor? Varias rursus hic  
 probabilitatis cauſas, ad firmam inde derivandam  
 præumptionem pro rerum humanarum forte alle-  
 gari posse, respondet *GROTIUS*, sed in utrum-  
 que maximam præcipue vim esse TEMPORIS.  
*Nam* primum vix fieri potest, en ejus verba!  
 ut multo tempore res ad aliquem pertinens non aliqua  
 via ad ejus notitiam perveniat, cum multis ejus occasio-  
 nes subministrat tempus. Inter praesentes tamen minus  
 temporis spatium ad hanc conjecturam sufficit, quam inter  
 abentes, etiam seposita lege civili. Sic & incusus semel  
 metus durare quidem nonnihil creditur, sed non perpetuo,  
 cum tempus longum multis occasiones adversus metum  
 sibi consulendi, per se, vel per alios, suspeditet, etiam  
 excedendo fines ejus, qui metuitur, saltem ut protestatio  
 de jure fiat, aut, quod potius est, ad judices aut arbi-  
 trios provocetur. Obijcias aliquis, cum homines se suaque  
 ament, non debere eos credi, quod suum est iactare, ac  
 proinde actus negativos, etiam cum magno temporis spatio,  
 non sufficere ad eam quam dicimus conjecturam. Sed  
 cogitare rursum debemus, bene sperandum de hominibus,

ac propriea non putandum eos hoc esse animo, ut  
rei caduca causa hominem alterum velint in per-  
petuo peccato versari, quod evitari saepe non poterit  
sine tali derelictione. Non ergo, uti multi ajunt,  
in sola temporis vi fundat usucpcionis funda-  
mentum Philosopherus, sed in argumento vero-  
simili & moraliter certo, quod ex lapsu tempo-  
ris deducitur, quo vel quis revera facile potuif-  
set in rem suam inquirere, si id ipsi curæ cordi-  
que fuisset, vel ex quo saltēm possessori, uti  
mox videbimus, jus efficax ita præsumendi, &  
hoc (licet forsitan falsum sit) pro vero habendi na-  
scitur. (Pos. XII.) Quæ igitur vulgo circumfe-  
runtur dictoria, omnia fieri in tempore, nihil per  
tempus, tempus cuius ens metaphysicum effectus morales  
producere non posse, & quæ hujus farinæ alia, hos  
nostros circulos minime turbant. Temporis enim  
varia est consideratio apud Philosopheros. Quanti-  
tatem & qualitatem temporis astronomi & meta-  
physici dimetiuntur: morale vero & civile tempo-  
ris regimen examinant Doctores disciplinarum  
moralium, & Jcti, qui ad negotiorum in societate  
civili obviorum usum illud applicant.

## GROTIUS L. c.

L. 142. ff. de R. J. C. 44. de R. J. in 6.

DE CRAMER Diff. de tacente dissentiente.

DE VATTEL L. c. §. 146.

TITIUS Jur. Priv. L. VIII. C. 18.

PACIANUS de Probat. L. II. C. 25. n. 8. Sed nos

*quidem utimur tum demum tempore, quando in causa  
civili aut criminali querimus de prioritate & posse-  
rioritate, id est, quid ocyus & quid serius factum sit.  
Item quando queritur, qua parte anni, qua mensis,  
qua hora, noctu ac interdiu, & qua die & qua no-  
ctis hora factum quid esse dicatur. Longinquitas etiam  
temporis sapientissime consideranda est, nam plerunque  
oporet negotium metiri cum tempore & videre, po-  
tueritne aut magnitudo negotii, aut multitudo rerum  
in eo tempore explicari, cuius rei varia sunt exempla.*

**A**LDERISIUS de Contract. Symbol. tit. I. C. 8. n. 6.  
*Actions que sunt, in tempore sunt, quas indagamus,  
prateritas, praesentes & futuras. Unde secundum  
quod diversimode fit in tempore adaequata operatio,  
quemadmodum ex omnibus nostris actibus ad aliquid  
obligamur, secundum substantiam, formam, causam,  
naturam & accidens secundum tempus, quia omnia  
debent in suis temporibus convenire; tempore enim in-  
digemus ad aliquid maturius agendum, quod intellige,  
non secundum quod tempus est, quod semper in eodem  
existit statu, & oculis inspici non potest, sed secun-  
dum successivas operationes, que in tempore sunt,  
quarum una expedit fieri bodie, & altera crastina die  
& deinceps, non quod bodie & crastina die sint tem-  
pora, sed etiam sunt operationes successivæ in tempore,  
secundum motum illum definitum, quod sit tempus &  
revera non est tempus, sed motus, qui fit in tempore.  
F R I D. GOTTL. STRUVIUS vom Stunden-Recht  
in Prefat.*



## P o s. XXVII.

Ex dictis itaque hoc patet, quod ex serie rationum a G R O T I O ad stabilienda circa moralitatem usucaptionis principia allatarum, nullo modo duci possit consequentia, ipsum vel in pena, vel in nudo domini silentio, seu quod ait D A R I E S I U S , in sola acquirentis cogitatione, vel deinde in mero temporis lapsu suæ opinionis fundamenta collocaſſe. Præsumptio ex solo tempore non procedit, sed ex iis defumitur, quæ in tempore accidunt, & maxime quidem ex singularibus; quæ tum a parte possidentis, tum a parte domini occurunt momentis. ( P o s. XXVI. ) Tempus ipsum ergo jus non producit, sed conjectura probabilis, de animo alterius derelinquendi rem suam, ex longo temporis tractu rite eruta, in rebus moralibus, ubi sæpius ejusmodi conjecturis ob rerum humanarum imbecillitatem necessario utendum est, omnino moralem potest operari effectum. ( P o s. XII. XXI. & seqq.) Solum domini silentium etiam neutiquam possessori rei alienæ jus dat ad domini consenſum inde præsumendum; sed tum quidem id juris ipſi denegari non potest, ubi aliae superveniunt cauſæ probables, quæ id efficiunt, ut possessor secundum sanæ rationis praecpta rite judicans etiam ipsum domini silentium pro

signo habeat declarati derelinquendi animi. Nec igitur omnia antea dicta ita intellecta cupimus, ac si quidem nos in *pœna* negligentia ipsum ponemus usucaptionis fundamentum. Potest quidem ex accidenti sibi evenire, ut quis supinæ suæ incuriæ justam det penam. (Pos. XXVI.), quæ tamen poena proprie sic dicta non erit. (Pos. VIII. IX. XI.) At hoc tamen deinde non ingreditur ipsam essentiam fundamenti præscriptionis. Poterit enim haud raro & is, cui nihil tantopere negligentia imputari possit, tamen ob præscriptionem alterius, casu quodam dominio rei suæ excidere, quem ob alias cauſas, supra jam luculenter adductas, æquo pati debet animo. (Pos. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV.) Nec tamen rursus exinde nunc hoc inferendum est, acquisitionem dominii ex derelictione præsumpta, repugnare regulis Juris naturalis, *neminem debere cum danno alterius fieri locupletiorem, nemini invito dominium rei sua auferri posse*, & quæ aliæ similes. Qui enim ex derelictione præsumpta dominium acquirit, neutiquam animum domino invito rem suam auferendi habet, sed solummodo recte pro vero reputat, alterum in hanc acquisitionem seu translationem dominii consentire. Certudo quippe dominiorum, de qua constare debet, (Pos. XXV.) fæpe exigit, ut sciat, an dominus rem suam dereliquerit nec ne? quando vero nunc hæc scientia *certo* haberi non potest, tunc quidem præsumptioni & regulis probabilitatis omnino locus dan-

dus est, quæ si rite fuerint stabilitæ, in rebus facti eundem debent effectum moralem operari, quam ipsa certitudo. ( Pos. XXI. & seqq.) Non quidem tunc pro vero habetur rem suam dominum dereliquisse, ideo, *quia incertum est, an dereliquerit?* sed ideo, *quia adiunt probabiles causas, ex quibus præsumptio derelictionis rite induci potest,* & semper induci debet, in omnibus illis casibus, ubi fieri nequit, ut de domini voluntate certi quid constet, & tamen alio ex fundamento simpliciter necessarium est, ut de ea aliquid statuatur. ( Pos. XXV.) Adeo hic præsumptio, qua excluditur probatio contraria, quamque præsumptionem nunc absoletam, nunc *juris & de jure* appellant D'ires. ( Pos. XXV.) Et qui ita acquirit rem alienam, ejus dominum non lœdit, cum jure suo utatur & suo satisfaciat officio. Implet obligationem maximi momenti ab ipsa natura ipsi impositam, quam simul sibi & generi humano prospicit, qua promovet societatis humanæ & civilis in specie salutem. Utitur *juris explectione*, uti GROTIUS subinde loquitur, i. e. explet, seu executioni mandat ea, fine quibus majoris cujusdam obligationis ipsi incumbentis scopum obtinere non potest. Seu, si usus loquendi D'ARIESII magis arrideat, adhibet remedia ad finem ipsa lege naturæ præfixum ducentia, secundum regulam, quæ cum *juris explectione* GROTIANA eodem reddit: *jus ad finem datum ad media.* In collisione duplicitis officiis, *salutem generis humani promovere, & privatum non lœdere, ma-*

jus istud officium huic minori secundum ipsa legum  
 naturalium placita præfert; atque eo ipso revera  
 dici non potest ladede dominum, cum jure suo  
 utatur, quod ex legis naturalis præscripto necessa-  
 riori *explere* tenetur. Est enim hæc natura collisio-  
 nis legum naturalium, quippe quæ actu nunquam  
 colliduntur, cum repugnantiam in iis admittere,  
 esset, ipsis Dei perfectionibus detrahere, sed quæ  
 solummodo ita nonnunquam concurrunt, seu po-  
 tius concurrere videntur, ut propter singulares  
 facti circumstantias ex duobus unum solummodo  
 observari possit, adeoque per officium majus mi-  
 nus evanescat; quo facto tunc non dici potest,  
 negligi hoc officium minus, sed potius ita dicen-  
 dum erit, hoc minus officium nunc non amplius  
 existere, propter necessariam majoris istius obser-  
 vationem. Atque ita quidem nunc iterum devol-  
 vimur ad regulam generalem saepius jam laudatam:  
*quod in casu dubio, quando certitudo baberi nequit, præ-  
 sumitur, id in negotiis humanis contra eum pro vero ha-  
 betur, contra quem fit præsumptio.* Hæc enim regu-  
 la sensu, quem in superioribus fuse explicatum de-  
 dimus, accepta, nobis uti plus simplici vice mo-  
 nuimus, videtur esse usucaptionis genuinum fun-  
 damentum ex ipsa rerum natura petitum. Illam  
 vero etiam ipsum **GROTIUM** in animo habuisse,  
 licet non satis perspicue ab eo expressam, & in-  
 scriptio capitii, & principia ipsa, ex natura cer-  
 titudinis mathematicæ & moralis præcipue, ipsis  
 que interioribus philosophiæ penetralibus petita,

quæ suæ doctrinæ quasi fundamenti loco subster-  
nit, meo judicio abunde evincunt.

## GROTIUS l. c.

WOLFFIUS l. c. §. 1017. usque ad finem capititis.

*De collisione legum naturæ vid. QUINTILIANUS  
Inst. Orat. L. VII. C. 7. nunquam lex legi contraria  
jure ipso, sed ea casu colliduntur, atque eventu.  
add. MOSHEIM Sittenlehre der H. Schrift P. V.  
proleg. p. 42. & seqq. & DARIESIUS Obf. Jur.  
Nat. Obf. 28. & 29.*

## Pos. XXVIII.

Momentum itaque ex insigni quodam temporis  
lapsu, quo quis in rem suam non inquisivit, de-  
ductum, firmandæ usucaptionis justitiæ haud pa-  
rum ponderis afferre vidimus. Sed quoniam nunc  
temporis spatium, ut effectui huic proferendo ido-  
neum eenseri queat, admittendum erit? hoc qui-  
dem Jus naturæ non definit, nec definire potest.  
(Pos. IX. & Schol.) Egregie tamen etiam de  
hac caussa differit GROTIUS. Nempe id demum  
ex singulari casus substrati ratione erit definien-  
dum. Non potest hic naturæ lex aliam, quam  
hanc statuere regulam generalem, id est, que in  
se quidem & in abstracto considerata, indefinita,  
sed in concreto definiri commode potest, quando  
nempe ad species singulas in ipso rerum usu obvias  
appli-

applicanda venit: in casibus singulis ad dictum sanctionis & pro singularibus, quæ ibi occurrere possunt, voluntatis humanae indicis altius deponendis, illud temporis spatum esse admittendum, quod sufficere videatur, ut inde domini derelinquendi animus rite juxta regulas, quas logica probabilium prescribit, possit induci. Inter cives itaque si res agatur, tunc hic, uti in aliis, præcipue se exerit civilium sanctionum vis, quippe quarum est, definire ea, quæ per rerum naturam ex universalibus repeti nequeunt principiis, sed a singularibus caussis pendent. Indeque est, quod contendamus, præscriptionem quoad originem & internum sui fundamentum, esse Juris naturalis, formam tamen ejus externam, a legibus civilibus definitiandam fuisse, & inde recte quoque homines in statu naturali viventes, & inter gentes liberas, ab invicem non pendentes, tempus hoc in singulis casibus obvenientibus sigillatim pro circumstantiarum varietate definitum erit. Nec tamen diffimulandum est, multum roboris tunc habere tempus immemoriale, quod memoriam excedit & quasi infinitum est moraliter, ita ut silentium talis temporis ad rei derelictæ conjecturam semper videatur sufficere. At hoc vero tempus itidem in se vagum est & indefinitum, unde rursus inter gentes in singulis casibus follicite, quid ratione singularium, quæ occurrunt, momentorum, statuti debeat? aestimandum erit. Non quidem tunc aderit inter gentes judex superior, super eo, an

actoris, an vero rei partes potiores sint? jure imperii & jurisdictionis pronunciaturus. Sed aderit fana ratio, transactio, compositio amicabilis, arbitri, & denique, quod inter gentes jure obtinet, subsidiarium belli remedium. Quærimus enim solum hic de jure, & non de modo juris sui exequendi. An gens contra gentem præscriptionis jus allegare valide queat? id rerum natura decidit, & quidem, uti dictum, affirmando; an vero gens contra gentem hoc *ius suum* tueri & defendere queat? id *sæti* est. Istud leges naturales, hoc ut plurimum vis armorum & militum virtus componunt.



Strasburg, Diss., 1760-75

ULB Halle  
004 359 240

3



f

sb.





G.29. num. 8  
17671

VINDICÆ NOVÆ GROTIANI DOGMATIS  
DE  
**P RÆ S C R I P T I O N E**  
QUAS  
**P RÆ S I D E**  
**JOHANNE FRIDERICO EHRLEN** 11  
INSTIT. IMP. PROF.  
A. D. APRILIS MDCCCLXXVII.  
HORIS LOCOQUE CONSUETIS  
AD DISPUTANDUM PROPONIT  
A U C T O R  
PHILIPPUS FRIDERICUS DE DIETRICH  
EQUES ALSATIÆ  
PATRIÆ CIVITATIS EX ORDINE NOBILUM SENATOR.  
ARGENTORATI  
Typis JOH. HENRICI HEITZII, Universitatis Typographi.

